

posse uidentur, multaꝫ hic plana iam atq; expedita reperias, quæ dudū māgnos atque eruditos quoq; uiros uarie ac misere torserunt. Quam quidem ob rem, sat scio, Grāmatici nostri nō minus sibi mox applaudēt, quā gemma aut margarita aliqua pretiosiore inuenta, negotiatores interdū gestire solēt, ut possis uel eo nomine gratulari tibi, quod sub tuo titulo, hominibus ijs, quales te amare scio, & quorum studijs ipse quoq; interdum oblectaris, tantum mox gaudij atque uoluptatis parietur. Præcipue cum ipse quoque poëticis rebus, ut audio, deditus ita sis, ut nonnunquam ad exemplum ueterum carmen aliquod cum multa laude componas. Et quanquā non ausim affirmare, omnino eum Hyginum hūc esse, cuius A. Gellius noctiū Atticarum libro primo, capite 21. mentionem facit, quem ipse quidem commentaria in Vergiliū edidisse tradit. Volaterranus aut, etiā cum eo qui temporibus Quintiliani uixit, librosq; de re Astronomica quatuor illos (siue is unus potius perpetuus dicendus est) quos eodem hoc uolumine, & ipsos longe quā antea emendatiores, cum reliquis eiusdem generis scriptoribus coniunximus: itemq; alium Grammaticōn, hoc est, de rebus castrensibus inscriptum reliquit, eundem esse arbitratur, propterea quod & Plinius Hyginum quendam crebro citat: & fieri frequenter solet, ut eodem nomine plures appellentur: multa tum uerisimilia concurrunt, quæ me ad dubitandum impellunt. Nam & ipsum opus eiusmodi est, ut hominem grammaticum, & Græcorum imitantem facile agnoscas, & quod ad dictionem attinet, uideas illum cum cæteris Hygini scriptis omnino similem ac parem esse. Interdum etiam ipsas loquendi formas uelut inde repetitas præ se ferre. Huc accedit, quod in Astronomicorum opere ipse Hyginus genealogiarum à se scriptarum meminuit, quarum certe aut fragmenta hæc, aut epitome, à studio aliquo ex illius libris excerpta & abbreviata uideri potest. Porro quantum laboris in emendando ac restituendo illo obeundum atq; adeo exandandum nobis fuerit, uel hinc coniecturam facere licet, quod primum ipse liber (qui beneficio excellentiss. D. Ioannis Vuyey Augustani, Frisingensis ecclesiæ Canonici, ac M. Io. Chrumeri Canonici apud diuum Andrea Frisingensem, Notarij integerrimi, necnō & Viti Chrumeri ibidē bonas literas non sine laude docentis, nobis communicatus est, quibus & sua gratia debetur, quod studia promouere, si qua datur occasio, non negligūt) is inquā liber, externis ac Longobardicis notis scriptus erat, in qua tamen re nonnihil adiuuuit nos is, qui prior illum latine describendum ceperat; cuius nos exemplum principio ceu filum quoddam secuti sumus. Deinde quod ipsa uerba pleraq; inter se ita impedita ac perturbata erant, ut alia nobis diuidenda, alia alijs abolenda: quorundam principium cum fine præcedentium, & rursum præcedentium quorundam finis cum principio sequentis coniungendus esset. Ut omittam, quā multa uetustate oblitterata, expuncta atq;